

Quod commentum eorum est vel universi chori vel solius corporis (cf. C. Koch, p. 131) quo historiam exantem procedunt, neque aciem patitur spectatores alloquitur. Deinde sequuntur Anapæstici vel quae proprie vocantur parabasis. Ab aliis enim veterum nominibus sunt quod ex tetrametris pluribus anapæstis catilactis constant; ab aliis parabasis nomen illi habitum est, quod totius interludii caput in se habent esse positum. Ex his vero anapæstorum utrum repetitur parabasis pars numeranda sit necne, infra explicabimus.

Hæc pars modo commentarii partes solius magnæ parabasis sunt, in parva deside- rantur. Quæ sequuntur, respiciunt partes parvas, quibus ordine communes, xxiix exantem ponuntur. h. e. ita ut hinc eandem sententiam formam, quæ in interludii parte, interludii a scholasticis communis nomine interludium, quæ in parabasi, ad formam versuum paræ spectant, hæc sollicitudine ut verba paræ quædam consilii secum sit nostra parabasi pon-

Sæpissime utrum prosit an noceat spectaculo interesse in utramque partem disputarunt, neque hodie deerunt, qui fabulis edendis hominum mores magis magisque corrumpi, magis labi persuasum habeant: nihilo tamen secius ne ii quidem negabunt, penitus in scenam productam demum fabulam intellectum iri. Non repugno, dicet aliquis, dummodo id egeris, ut ubicunque fabulam spectes actores peritissimi partes susceperint. Cui non habeo, quin assentiar, nisi id unum tenendum esse velim, duos fuisse poëtas scenicos eosdemque solos, qui ita opera sua scripserint, ut quasi per se agi res videantur: Aristophanem unum dico veterem atque Aristophanem alterum, qui vocatur, Shakspearium. Quorum fabulae quamvis per imperitos negotii actores agantur, tamen vehementissime audientium animi commoveantur necesse est, praesertim quum jam, qui legunt partes, eorum animi acriter percutiantur: ideoque bonum faustumque omen judicandum est, quod traditum a majoribus, aliquantum vero temporis neglectum, morem ita legendi auctores, ut aliis aliae dentur partes, nostra aetate eruditi receperunt. Qua ratione ego quoque jam discipulus incitatus ut legerem Aristophanis opera quum adamaverim, etiam nunc valde iis delectatus summo studio respexi atque cognovi, quidquid recentiore aetate docti viri de quaestionibus Aristophaneis quibusdam in controversiam deductis disseruerunt; itaque mihi proposui Acharnensium parabasin commentario critico atque exegetico sic illustrare, ut ratione habita illarum quaestionum, si non novi aliquantum potuerim afferre, illud tantum explicem, quid hinc illinc allati pro incerto quid pro explorato habendum videatur. Priusquam vero in parabasin (a v. 626 ad v. 719 ed. Meinek.) commentarium componendum suscipiamus et de rebus singulis disputemus, paucis de universo parabasis genere noqis videtur repetendum esse. Neque quemquam offensum iri arbitramur, si auctore C. Kockio (de par. ant. com. att. interl. Ancl. 56) quem optime parabasis naturam perspexisse omnes vident, parabasin explicamus esse interludium, quod semel bisve majore fabulae parte finita in intervallis actione vacuis collocatum complectebatur quidquid fabulae tenori inseri non poterat, quum poëtae comico qui publicam quasi personam gerebat etiam de se fabulaeque consilio dicendum esset, sive ab inimicorum calumniis se defendere atque ex invidia spectatorum in gratiam et favorem venire, sive aperte alios petere eorumque voluntates et animos nudare consilium erat, sive populo probatum voluit, qua essent venustate suae comoediae prae alienis.

Sunt autem parabasi genera duo. Quorum alterum, cui magna parabasis nomen est, septem ex partibus constat, alterius, quae parva appellatur, quattuor sunt partes.

In prooemio magnarum, quarum in numero nostra quoque habenda, collocata est ea, quae paucis verbis continetur particula, τὸ ζῶματιον.

Quod commatium canticum est vel universi chori vel solius coryphaei (cf. C. Kock. p. 13.), quo histriones exeuntes prosequitur vacuaque scena petita spectatores alloquitur. Deinde sequuntur Anapaesti vel quae proprie vocatur parabasis. Ab aliis enim *ἀνάπαιστοι* nominati sunt, quod ex tetrametris plerumque anapaestis catalecticis constant; ab aliis parabasis nomen iis inditum est, quod totius interludii caput in iis videtur esse positum. Exitus vero Anapaestorum utrum separatim parabasis pars numeranda sit, necne, infra explicabimus.

Haec, quas modo commemoravi, partes solius magnae parabasis sunt, in parvae desiderantur. Quae sequuntur, reliquae partes quattuor, utrique communes, *κατὰ σχέσιν* ponuntur h. e. ita ut binae eandem servant formam, *στροφή, ἐπιλόγημα, ἀντιστροφή, ἀντεπίλόγημα*, a scholiastis communi nomine *ἐπιλόγηματιζή συνυγία* significatae. Ad formam versuum quae spectant, haec sufficiant: restat, ut verbis ipsis quid consilii secutus sit nostra parabasi poeta exponamus.

Defendit autem enim se ab eorum criminibus, qui opprobrio ipsi dabant, quod cives dente maledico carperet: nequaquam vituperandum, sed maxima laude se esse dignum dicit, qui compositis actisque comoediis non damnum sed maximum civibus praebuerit commodum. Quibus recta se dedisse consilia, jam inde intelligi posse, quod vel exteri ex remotis regionibus soleant advenire, ut optime illum de Atheniensium civitate meritum suis oculis adspiciant ejusque carminibus attentos se praestent: cf. v. 640. sqq. Eisdem se gerere Athenienses vehementissime cupit poeta. Sua ipsius consilia secuti vult pacem ineant cum Lacedaemoniis, depellant perniciem a patria, quae ducto ad id tempus bello peloponnesiaco male affecta omnino sit interitura ex intemperantia nimiaeque licentia sycophantarum et rerum novarum molitorum, qui nemini parcant, nisi sui simili neque vereantur juvenes senum bene de patria meritorum in famam incurrere iisque perniciem struere.

Jam vero ad singula commentario illustranda transeamus.

Kommatii amborum versuum (626—628) metrum continetur tetrametris anapaestis catalecticis.

ἀνὴρ νικᾷ.] Sine articulo autē Brunikum, sed vett. recentioresque edd. omnes scribunt *ἀνῆρ*, quum syllaba producta metro sit aptior, id quod articulo vocalique sequenti commixtis fieri apparet.

ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαιστοῖς ἐπίωμεν.] accincti anapaestos (recitandos) aggrediamur, i. e. accingamus nos ad anapaestos (recitandos). *ἀποδύντες*, nudati sc. vestibus i. e. parati vel accincti sicut athletae, qui vestibus exutis ad pugnam se parare solent. cf. Lysistrat. v. 615: *ἀλλ' ἐπαπδύωμεθ', ἄνδρες, τὸντοί τῷ πράγματι*. ad hoc negotium nos accingamus, viri. Idem valens etiam cum Infinitivo conjungitur, ut Xen. Oecon. 14, 3: *ἢ καὶ ταύτην τὴν δικαιοσύνην ἀπνδύει διδάσκειν*. — *τοῖς ἀναπαιστοῖς*, dativum, laudant Esml. Meinek. Bergk. *τοὺς ἀναπαιστοὺς* alii. Magis arridet dativus. Ea enim, quae praepositioni *ἐπί* vel *πρός* subjunguntur verba etsi accusativum non spernunt, si non id est significandum, quo contendat actio, sed quid efficiatur actione, vel si praepositionis rectio praevalet, plerumque tamen, ut accuratius quo contendant significant, cum dativo conjunguntur. cf. Math. gr. gr. § 402. 5. a Ann. I. Accedit, quod et cod. Ravennas, qui est optimus et Florentinus et Suidas s. v. *ἀποδύντες* hanc lectionem praebent. Qua re dativum praeoptare non dubitabimus. — *Ἀνάπαιστοι* a. v. 628 ad v. 665. Metrum compositum est ex tetrametris anapaestis catalecticis, qui versus quum saepissime ab Aristophane adhibiti sint, Aristophanici nominantur, si-

mili modo, quo alii versus ab aliis nomen acceperunt poëtis, ut *Εὐπολίδειον* et *Κρατίνειον*. Constat autem ille versus ex tetrapodia acatalecta et ex Paroemiaco, cujus metri quid proprium sit repetere nobis liceat. Utuntur enim versu Aristophanico, ut Aristophanes, ita alii poëtae et dorici et attici iique comici, hoc tantum discrimine interposito, ut, quum illi utramque theseos syllabam omnibus in pedibus contrahant ac ne septimo quidem spondeum pro anapaesto ponere dubitent, noster tamen poëta eo loco retineat syllabas correptas.

ἔξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν] γέ particula, quae ei, ad quod pertinet, verbo postponitur, aut ad unum aliquod verbum refertur aut ad totam enuntiationem atque affirmativam habet vim. Ad totam respicit enuntiationem eamque affirmat, si conjunctioni cuidam addita est, ut nostro loco, ubi mihi sine ulla dubitatione videtur prope idem valere, quod *μὲν*, quum ei respondeat v. 630 particula *δέ*. Vertendum igitur est: quo quidem ex tempore poëta noster trygicis choris praefuit, parabasi in scenam nondum prodiit spectatoribus quam probabiles afferat rationes pronuntiaturus, quum vero calumniis sit affectus etc. Sic etiam Aesch. Pers. 486 ubi recte Blomfied pro codicum lectione *καῶν δὲ* scripsisse videtur *καῶν γε*, cui respondet: *στρατὸς δ' ὄ* etc.

τρυγικοῖς χοροῖς] Vocabulum *τρυγικός* idem est, quod *τρυγοδικός*, derivandum a *τρυγός*. Quae vox quum ducta sit a *τρύξ* et *ὄδη*, significat cantorem, qui ora faece perunxit. Sic enim se ornabant actores antiquissimae comoediae. Unde facile intelligitur, qui factum sit, ut priscis temporibus Graeci voce *τρυγός* uterentur ad comoedi personam significandam. Quum igitur voci *τρυγός* semper vis comediae subjecta sit, consimiliter poëta isto verbo *τρυγοὶ λοροί* utitur ad notandos comediae choros cf. v. 499 *τρυγοδίαν ποιῶν* i. e. comoediam faciens. Sed etiam alio modo *τρυγός* explicatum est. Quum enim *τρύξ* non modo faex, sed etiam mustum intelligi possit, *τρυγός* eum quoque nominatum volunt, qui comicis in illis ludis — agrestia dico Dionysia — victor exstitit et tamquam praemium victoriae accepit mustum. Jam sunt alii, qui minus commode *τρυγός* a *τρυγή* i. e. vindemia et *ὄδη* ducendum esse censeant, quia jocosi illi ludi vindemiarum tempore edebantur. Praeferenda mihi illa, quam primo loco posui, explicatio videtur.

ἐφέστηκεν) ut versione docui idem valet quod *ἐπιστάτης ἐγένετο* i. e. se praefecit, princeps est.

ὁ διδάσκαλος ἡμῶν] *διδάσκαλοι* vel *χοροδιδάσκαλοι* ipsi poëtae fere vocantur, si quidem fabulam docuerant, i. e. chorum instituerant atque exercuerant, ut officiis suis strenue perfungi posset. Accepta enim agendae fabulae venia, quae ab archonte sive ab eponymo sive ab eo cui nomen erat *βασιλεύς* petenda erat, poëta ad choragum mittebatur, qui et choreutas dabat et *διδασκαλεῖον* — i. e. locum in quo erant chori exercitationes — atque victum quotidianum, dum fabula docebatur, choreutis praebebat. Quum vero magno in numero poëtarum, qui chorum petebant, summi magistratus ex arbitrio penderet quis ex certantibus veniam producendi operis impetraret neque raro vel ab iis, qui summam jam adepti erant gloriam, locus dandus esset obscuris minimeque honore illustribus*): difficillimum fere putabant *χορὸν λαμβάνειν*. neque mirum, si juvenes fabulam aliquam docturi quamvis magni essent ingenii divitisque venae, nisi forte societate quadam vel consuetudine cum illis potentissimis erant conjuncti, tamen alios adibant, qui choros ducendos curarent, jam spectatos

*) cf. Bergk. fragm. Arist. apud Meinek II. p. 903 sqq.

probatosque viros, quorum auctoritate usos facilius se populi favorem sibi collecturos esse sperabant, quam si suo Marte fabulam ederent. Non timeo ne quis occurrat: quum neque honore neque nomine illustribus occasionem agendarum fabularum datam esse contendas, quid sit quod juvenes magno poetico ingenio praediti veriti sint chorum petere. Unum hoc ad refutandas ejus modi causas sufficiet: quod optimus quisque, cujus nomen nondum innotuit, quum penes injustum esse videt praemium tribuere, recusat quominus certet cum aliis quamvis inferioribus. Injuste enim fecit praetor, qui Sophocli Gnesippum antetulit, qua de re indignatus Cratinus in Pastoribus frag. II. sic loquitur:

Ὅς οὐκ ἔδωκ' αὐτῶντι Συροκλέει χορόν.
 τῷ Κλεομάχου δ' ὄν οὐδ' ἂν ἤξιόν ἐγὼ
 ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια*;

injuste alii. Iniquissima vero judex est plebs, cujus quum fluctuent semper animi, ex magna gratia et favore in invidiam quilibet venire potest. Sed ne longius aberremus a proposito, ad nostrum locum revertamur, ubi dijudicandum erit, quis *διδάσκαλος* intelligendus sit, Aristophanes an alius aliquis, itaque quum mihi attingendae sint quaestiones inter se artissime cohaerentes — quis docuerit Acharnenses, quis *πρωιταγωνιστής* fuerit h. e. primas egerit partes, cujus nomine inscripta fuerit fabula, quis denique accusatus a Cleone molestias acceperit — gravissimas illas, de quibus doctissimorum virorum summa exorta est dissensio, ut maximus me incedit timor, ne magna inflatus videar insolentia quod ea disquirendi periculum faciam, quae intelligentissimi Aristophanis existimatores disseruerunt: ita induluros mihi doctos illos spero quippe qui jam supra pronuntiaverim, si non potuerim novi aliquantum proponere, cognita tamen et perspecta a dubiis incertisque discernere me conaturum esse. Quum vero alii alia de hac re disseruerint, eorumque omnium opiniones afferre mei propositi esse non possit, commemorem liceat diversissimas illustrium illorum, qui in primis Aristophaneis in studiis versati sunt, sententias*) Bergkii, C. F. Hermannii, Fritschii, Droysenii, Th. Kockii.

Ac primum quidem Bergkiius longae disputationis summam his fere comprehendit: Aristophanem prae juvenili verecundia, quum primum scriberet commedias, eas Callistrato commendavisse — dicit Daesalenses, Babylonios, Archamenses — sed postea quoque, quum jam ipse fabulae sc. equitum docendae periculum fecisset, eandem retinuisse consuetudinem et plerumque vel Callistrati vel Philonidis industria usum esse: utrumque poetam, non histrionem fuisse; ne ipsum quidem Aristophanem in Equitibus partes suscepisse: Aristophanis laudem, quamvis sub alieno nomine delitescentem, cito omnibus innotuisse, itaque hunc, non Callistratum ter aut ab ipso Cleone aut ab alio aliquo, quem ille subornaverat, in iudicium vocatum esse.

Deinde C. F. Hermannus, cujus commentationem me cognoscere non potuisse vehementer doleo, contendit, quod ex Fritschio videam, eas, quae in Acharnensibus commemoratae sunt, Cleonis injurias, non ad Aristophanem, sed ad Callistratum pertinuisse. Quid de chori magistro Acharnensium sentiat et de aliis, quae supra una proposui, haud satis scio, contrarium autem eum disputasse atque Fritschium, qui quamvis ei sit amicissimus acriter ejus sententiam impugnat, ex Fritschio

*) Bergk. fragmenta Aristoph. —

C. F. Hermannii index lectionum Marburg 1835 et 42.

Fritschii Quaestiones Aristophaneae Lipsiae 1835.

Droysenii praefationes ad Aristophanis opera in germanicum sermonem translatae Berolini 1836. 37. 38.

Th. Kockii de Philonide et Callistrato Gubnae 1855.

schii Quaestionibus Aristophaneis aperte elucet. Ubi, ut in pauca conferam, ipsum Aristophanem Babylonios, Acharnenses, Equites docuisse ostendit: Aristophanem poëtam Babyloniorum, non Callistratum histrionem a Cleone in jus vocatum esse, et id semel, non bis vel ter. tempore inter Babylonios et Acharnenses actas fabulas interjecto. Jam Droysenius omnia, quae *διδάσκαλος* vel poëta de se dicit in Acharnensibus, ad Callistratum non ad Aristophanem referenda esse suspicatur consentiente Hermanno, quod attinet ad injurias a Cleone illatas. Postremo Theodor. Kochius cum Bergkio plurimisque aliis Callistratum docuisse et egisse fabulam et Babyloniorum et Acharnensium explicat, Fritzschio concedit Callistratum histrionem non poëtam fuisse, sed dissentit ab eo aliisque primum, quod Acharnenses Aristophanis nomine inscriptam fuisse, deinde quod Acharnensium parabaseos quodammodo in duas partes divisae primos versus inde ab „ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστιον ὁ διδάσκαλος“ usque ad v. 630 „φασὶν δ' εἶναι“ ad Callistratum chor magistratum, sequentes autem versus inde a verbis „φασὶν δ' ὁ ποιητὴς“ ad Aristophanem poëtam relatos vult, denique quod et poëtam et Callistratum actis Babyloniiis a Cleone utrumque accusatum utrumque vexatum esse dicit. Sic quum quid doctissimi viri de illis quaestionibus sentiant pressius exposuisse mihi videar, audio te, qui legeris, appellentem: noli oblivisci, quid supra proposueris, neglexisti unum. Quemnam putant illi primas Acharnensium partes egisse? Neglexi hoc ego quidem atque etiam de industria, quod Callistratum protagonistam vel primarum actorem fuisse inter omnes illos constat. Jam quaeres: quis fuit Callistratus, histrio an et ipse poëta? Bergkium an Fritzschium sequamur? Cum T. Kockio p. 20 respondendum erit: Callistratum poëtam fuisse, certis argumentis demonstrari non posse, nisi uno illo, quod Bergkius apud Meinek p. 923 affert, sed satis id mihi videtur esse. Ante enim quam Equites ipse Aristophanes docuerat, id quod omnibus jamdudum probatum est, tres scripserat fabulas Daetalenses Babylonios Acharnenses, easque aliis vel docendas tradidisse poëtam vel si velis in certamen committendas donasse, qui legerit Kockii de Philonide et Callistrato disputationem, non negabit. Is vero quum aliam atque plurimi docti viri, qui ab iis, quae grammatici et scholiastae tradiderunt, praeoccupati jam perversis istorum hominum opinionibus ad Aristophanis ipsius verba se contulissent, aliam atque contrariam viam naturae magis consentaneam se ingressum esse profiteatur, ut primum, quid ex ipsius poëta comoediis tamquam optimis omnium in hac re veritatis testimoniis investigari possit, accuratissima disputatione exquirat, deinde ad scholiastarum et grammaticorum narrationes transeat: qui factum esse putamus ut hoc argumentum et ipsum a poëtae comoediis repetitum neglectum velit. Vesparum enim in parabasi quum admonerit cives poëta ut mentes auresque erigerent eumque dicturum attenderent, graviter se, quum esset dignus qui beneficiis afficeretur injuriam tulisse hic conqueritur: *ἀδικεῖσθαι γὰρ φησιν πρότερος πολλὸν αὐτοὺς εὐ ποιητικῶς, τὰ μὲν οὐ φανερώς ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροις ποιηταῖς, μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὸς κωμικῶν πολλὰ γέσθαι, μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερώς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτὸν, κτλ.*

Aperte igitur dicit Aristophanes: aliorum, non unius alius, ut Kockius optime addit poëtarum opera primum se usum esse, ut partim fabularum ederentur, postea vero ipsum docendae fabulae periculum se subiisse. Usque eo fuimus cum Bergkio, jam deserendus est. Idem enim ei vitio dandum est, quod Fritzschio, quum et ipse verba *ἐτέροις ποιηταῖς* ad

unum poëtam referenda censeat. Quod si concessissem, Bergkio sequi mallet Fritzschiu, qui etsi coactus est Philonidem defendere quum sibi constans esse velit, eum tamen significari suspicatur, cujus exstent carminum fragmenta. At non hoc vobis dabimus, et quod Vesparum in fabula pluralem legimus, qui duos certe significat, et quod scholiasta ad h. l. eodem modo disserit: *οὐκ ἐκ τοῦ φανεροῦ, φησὶν, ἐπικουρεῖ ὁ ποιητὴς τοῖς θεαταῖς ὑμῖν, ἀλλὰ δι' ἑτέρων ποιητῶν λάθρα, ἐπειδὴ διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου καθίει τινὰ τῶν δραμάτων. πρῶτον γὰρ δράμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἰππίας.* Ubi vocabulum *καθίει* vel *καθῆκε* ita explicandum est, ut idem valeat, quod latini sermonis verbum, *committere*. Committunt autem, vel fabulas committunt, vel in certamen eas committunt poëtae, quum edendis ipsorum fabulis simul cum aliorum operibus certamen ineunt, quo finito praemium gloriamque se adepturos esse sperant. Igitur si quis commissurus erat, jam nomen professus erat, jam docuerat fabulam. Quod si poëta quibusdam causis motus ipse committere noluit, id quod saepius factum esse jam supra diximus, alii officium tradidit nomen profitendi, chori et petendi et docendi, itaque et Aristophanem per Philonidem et Callistratum nonnullas fabulas commisisse scholiasta confirmat. Quibus poëtarum nomine vocatis quum ipsius Aristophanis quae supra memoravi verba *ἐίεροις ποιηταῖς* omnino sint comprobata, non prius hac opinione me deiecitum iri credo quam aliquis firmis argumentis errorem convicerit. Apparet ergo, Callistratum quum ipse poëta comicus non posset aliquid consequi scribendis fabulis, magnam adeptum esse gloriam et quod docebat aliorum fabulas et quod primas partes in iis agens in scenam prodibat.

Jam vero quaerenti, benevole lector, quis Acharnenses docuerit, Aristophanes, an alius aliquis tibi revocandum est, quod jam supra dixi, quodque etiam praeter Scholiastae illam modo commemoratam annotationem „*πρῶτον γὰρ δράμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἰππίας*“, multis aliis firmis argumentis, non solum ex didascaliiis, monumentis illis publicis, in quibus et archon et festus et poëtae, qui quoque festo certassent, et fabularum nomina et qui cuique iudicibus locus datus esset, postremo actores primarum designata erant*), atque ex veterum grammaticorum testimoniis, sed imprimis poëtae ipsissimis ex verbis aperte elucet, Aristophanem ante actos equites nullam docuisse fabulam. Illud ipsum satis demonstravit Th. Kockius (p. 3 sqq.) cui illa scholiastae verba ad Ach. v. 356 „*τοὺς Βαβυλωνίους. τοῦτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδασκεν*“ non timeo ne obtendantur, et quum sine ullo auctore dicta sint, ut Fritzschius ipse confitetur, et quum minime dubium sit, quin vocabulum *διδάσκειν*, quod proprie significabat docere fabulam i. e. chorum instituere atque exercere, postea saepius minus accurate dictum idem valuerit, quod *καθίειν*, vel *committere*. Affert igitur scholiasta Aristophanem ante Acharnenses actos, Babyloniorum fabulam commisisse, sed negligit per quem illam commiserit. Apparet ergo, Aristophanem neque Archarnenses neque Babylonios docuisse. Immo Callistratum utriusque fabulae chori fuisse magistrum demonstrare conabor. Ante actos enim equites et Philonidis et Callistrati opera usum Aristophanem primas illas fabulas in certamen comisisse et supra diximus et confirmatum videmus his firmis argumentis: et didascaliiis et multis Scholiorum locis**) et a Suida s. v. *Σαμίων*] „*Τοὺς Βαβυλωνίους ἐδιδάξε διὰ Καλλωστράτου*“ et a

*) cf. Boekh. C. I. 1 p. 351.

**) Quorum in numero illud Scholion est ad Vesp. 1017. Tum cf. Sch. Nub. v. 519: *διὰ τὸ μὴ τριακόνταετῆς εἶναι ὑπάρχειν, ποιῶν δράματα διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου ἀνεγνώσκων εἰς τὸ θέατρον* etc. ubi, temere Scholiastam illam legem commentum esse qua comicorum poëtarum aetas certis coerceretur finibus, Bergkio quin concedat neminem

grammatico illo vetere, qui scripsit de comoedia p. VIII. l. 31. (ed. Mein.) Ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἀρχόντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου· τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτω φασὶν ἐντὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδη. Idem vel tamen simile auctor incertus Vitae Aristophanis p. X. 7. (ed. Mein.) refert: ἐλάβης δὲ σφόδρα γινόμενος τὴν ἀρχὴν, ἄλλως τε εὐφύης τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθ' ἑνὸν δράματι, neque horum verborum vis infringitur ab alio incerto auctore Vitae XXXIX 1: apud quem „ὑποκρίται Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνίδης“ legitur, tum vero sine ullo dubio sic legendum est δι' ὧν ἐδίδασκε τὰ δράματα ἑαυτοῦ, διὰ μὲν Φιλωνίδου τὰ ἰδιωτικὰ διὰ δὲ Καλλιστράτου τὰ δημοτικά. cf. Struvii excursum de Phil. et Callistrato p. 60.

Quod si omnino non est, quod fictum illud arbitremur, politicas fabulas Callistrato, privatas Philonidi in certamen committendas a poeta traditas esse: quod si Philonidi dedimus, quod est Philonidis, ut Daetalensium fabulam ab eo doctam esse confiteamur, quippe cujus sententia minime sit δημοτικὴ nominanda, quippe quam non unam, ut Fritzschius vult, sed primam tempore nomine Philonidis inscriptam esse (ex Scholiis ad Nub. 520, sqq.) Aristophanem quasi dicentem audiamus: facere non possumus, quin utramque aliam, cujus supra mentionem fecimus, fabulam a Callistrate doctam et actam esse etiam atque etiam defendamus, nempe quod ambae sunt politicae sententiae, artissimeque inter se conjunctae. Accedit quod in hypothesi i. e. argumento Acharnensium id, quod disputavimus, comprobatum legimus his: ἐδιδάχθη sc. Acharnensium fabula ἐπὶ Εὐθυμένους ἀρχόντος ἐν Ἀθηναίοις διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν, i. e. victoriam a ceteris reportavit. Sin autem ad locum nostrum (ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ctt.) reversum me quis incitet: fac ut progrediaris in via quam iniisti: non multum abest, quin eo pervenias, quo Kockius, Aristophane usus auctore respondebo „εἴτα ἦν ἐξηπάτησεν ἢ χάραξ τὴν ἀμπελον“. Etsi enim Kockio assensus sum quod Callistratum docuisse et egisse Acharnenses iudicavi, nequaquam illud concedendum censeo nostra in parabasi alias Callistratum, alias Aristophanem significatum esse. Immo vero neminem nisi ipsum poetam omnibus parabasis locis significari, — ut taceam, quod ipse Kockius confitetur, διδασκαλὸν nomine non solum chori magistrum sed saepius poetam ipsum notari — jam inde intellegi potest, quod omnes illi versus:

628. ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηχεν τραγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν
ὄπῃ παρέβη πρὸς τὸ θέατρον λέξων ὡς δεξιὸς ἐστίν
630. διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
ὡς κωμῶδει τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,
ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους,
φασὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής.
πάσας ὑμᾶς ἐγκοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι ctt.

omnes hi, crede mihi, versus artis quasi vinculis conjuncti sunt. Qui enim spectatoribus expositurus est ὡς δεξιὸς ἐστίν, sine dubio idem est, qui multorum bonorum civibus auctorem se esse praedicat (πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν v. 641.) Quid? qui pronuntiavit contra inimicorum calumnias sese defensurum esse, ei putabis licuisse, subito de alio quodam dicere, de poeta! Scripsisse enim Callistratum neque priore anno actam fabulam, ad quam multa ex nostra pa-

esse puto, quum alias nihil ejusmodi legatur. Quibus autem de causis Aristophanes non statim ab initio suas comoedias suo nomine inscriptas ipse docuerit et in scenam produxerit, quum supra jam explicavimus tum infra poetam ipsum disserentem taceamus.

rabasi referenda esse infra explicabimus, neque Acharnenses, tum jam omnibus spectatoribus persuasum fuisse nemo erit qui neget. Tunc mihi occurris, in eo est ut cum Droysenio stes atque omnes illos, qui ad Aristophanem an Callistratum pertineant in dubio est, locos ad Callistratum spectare affirmes. Ne hoc quaeso suspicatus sis, sed ut difficultatibus impeditum expediam locum, per te liceat conijciam: versu 628 pro „ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν“ scripsisse Aristophanem „ἐξ οὗ γε χοροῖς συνέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν. i. e. Quo quidem ex tempore poeta noster comoedias fecit, et eas solas, nulla alia dramata; quo igitur ex tempore quasi coaluit cum choris trygicis, nondum dixit est. Jam etiam conijciendum est, poetam a choris exercendis non omnino abstinuisse neque manibus quod ajunt compressis domi sedisse, sed ut Daetalenses constat Philonidem et Callistratum simul docuisse, — non probandum mihi videtur quod Kockius opinatur: Philonidem docuisse, Callistratum primarum actorem fuisse — ita Aristophanem quoque docendorum Babyloniorum Acharnensiumque vel tamen Acharnensium negotium participasse cum Callistrato suspicandum est. Quam rem memoriae non traditam esse nemo mirabitur, cujus in mentem venit, inscriptam esse utramque fabulam Callistrati nomine. Etiam aliud aliquid allaturus sum, quo magis quod proposui tibi probetur, benevole lector et te moniturus sum, ut mecum non solum legas hos Acharnensium versus 1149 sqq.

„Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν ξυγγραφεὴ τῶν μελέων ποιητήν,
ὡς μὲν ἀπλοῦ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεὺς·
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα λήγαια χορηγῶν ἀπέκλεισε δέπνων“

sed etiam mecum interpreteris, Aristophanem, qui, quum Callistrati nomine inscripta esset Babyloniorum fabula isque unus provinciam chori exercendi suscepisset, tamen participem se fecerat instituendi chori ideoque, donec doceretur fabula, cibum sibi quoque praebitum iri speraverat, ab avaro chorego sc. Antimacho remotum esse: quum quem video Aristophanis interpretem, qui frontem contrahens mihi succlamat, vae rebus fictis, cave permultum conjectes itaque vocem mihi includit.*)

Restat ut explicem, quae parabasis verba quomodo spectent ad Babylonios superiore anno actos. Quod ut optime efficiamus, accuratissime cognoscamus atque perscrutemur nostrae parabasis verba necesse est. Postquam enim poeta — non Callistratus — adversariorum criminationes se dissoluturum esse professus est, maxima laude se esse dignum his explanat:

634. „πάσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατάσθαι,
μήθ' ἦδιστα θυπευομένους, μήτ' εἶναι χαυνοπολίτας.

πρότερον δ' ὑμᾶς ἀπὸ τῶν πόλεων ἢ πρέσβεις ἐξαπατῶντες
πρῶτον μὲν ἰσοτεφάνους ἐκάλεον κάπειδῃ τοῦτο τις εἶποι
εὐθὺς διὰ τοὺς στεφάνους ἐπ' ἀκρων τῶν πυλῶν ἐκάθησθε.

640. ἤβρετό πᾶν ἂν διὰ τὰς λιπαράς, ἀφῶν τιμὴν περιάψας,
τὰτα ποιήσας πολλῶν ἀγαθῶν ἀτίος ὑμῖν γεγένηται.

*) Nullo modo, id quod Fritzschiuss disserit (de injuriis a Cleone illatis p. 306), pro explorato habendum est, Antimachum legem tulisse, ne quis nominatim perstringeretur. cf. Scholia ad Acharn. 1149 μὴ δεῖν κωμῶδειν ἐξ ὀνόματος. Quum enim Scholiasta ille, fide indignus qui χορηγῶντα Antimachum illam legem dedisse, pugnantly loquitur, tum quod de rogatae et abrogatae legis tempore dicit, secum pugnat, eaque de causa ejus in testimonio nulla est auctoritas. De lege autem illa „μὴ δεῖν εἶν.“ infra pluribus disserendum erit.

καὶ τοὺς δῆμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται.
τοιγάροι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες
ἤξουσιν ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον.

645. ὅστις παρεκινδύνους εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια *ctt.*“

Inde ex his duo potissimum eligenda esse, quae poëtam in Babylonii in medium protulisse veri simillimum est, jam Bergkiius vidit.

Ac primum quidem quin vituperaverit Aristophanes Athenienses, quod ipsi ducto bello in summas angustias deducti tamen neque de pace ineunda cogitarent et exterorum, quorum blanditiis assentionibusque deciperentur, commodis inservirent (cf. infra ad v. 636), nemini dubium erit, qui accuratius perspexerit illud: „παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι“. Quod deinde saepius poëta in illa fabula attigisse putatur, id significatum est hoc versu: „καὶ τοὺς δῆμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται“. Sic enim interpretanda sunt verba inde a „ταῦτα ποιήσας“ usque ad „δημοκρατοῦνται“: Grati Athenienses, erga poëtam esse debetis, quum non solum ea fecerit, quae modo commemoravit, sed etiam vos docuerit, quomodo socii a Cleone ejusque similibus vexentur. Eodem pertinent Equitum illi versus inde a. v. 129 ad v. 139, ubi oracula domo efferre jussus, quum quasi mutatis temporibus praeteritum futuri in locum substituit, servus vaticinatus est, qui homines deinceps res administraturi essent: primum potentissimum fore stuppae venditorem, quo superato rem publicam tenturum esse pecuarium usque dum futurum esset, ut alius illo sceleratior existeret eique succederet, coriarius. His verbis Eucratem, Lysiclem, Cleonem notatos esse apertum est, quos Aristophanes omnes cum aliis hominibus popularibus in Babylonii multis verbis saepissime castigasse Fritzschius (ad Babylonios) ingeniose exponit. Ac potissimum quidem Eucrates, stuppae venditor, quem etiam alio loco (sq. v. 254) poëta dicit aliquamdiu rei publicae praefuisse sed postea a Cleone *εἰς κρηβίλων ὁδοῦς* i. e. fursurum in vias se recipere coactum esse, vehementer conviciis laceratus esse maximeque eo spectatoribus ludibrio fuisse fertur, quod ipsius pistrinum exercentes socios poëta in scenam producerat. Similem in modum Cleonem proscissum esse, jam inde intellegi potest, quod in jus vocatus est poëta vel is, qui etiamtum scripsisse Babylonios existimabatur, Callistratus atque lite instituta in id periculum deductus est, quod aegerime effugeret.

Testis est ipse poëta, quum Dicaepolin dicentem facit (v. 377. sqq.)

αὐτὸς τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλεωνος ἄπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρουσι κωμῶδιαν.
εἰσελεύσας γὰρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου
ἄκυκλοβόρει κάπλιεν, ὡστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

et v. 500 sqq. οὐ γὰρ με νῦν γε διαβαλεῖ *ctt.*

quae verba in latinum sermonem convertere mihi liceat, quum nostrae urbis in officina typographica haud ita magna sit abundantia Graecorum typorum. „Non etiamnunc calumniabitur me Cleo, quod coram peregrinis contumeliose dicam de civitate. Quum enim Lenaea celeberrimus, soli sumus, nondum adsunt peregrini.“ Conveniunt autem haec omnino cum iis, quae Scholiastae de hac re prodiderunt. Multis enim Scholiorum locis haec fere legimus: *τοῖς Βαβυλωνίους πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν, ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν.*

ἐκωμώδησε γὰρ τὰς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα παρόντων ξένων. εἶπε γὰρ δράμα τοὺς Βαβυλωνίους τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ, ἣτις ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται, ἐν ᾗ ἔφερον τοὺς γόρους διὰ σύμμαχοι καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεῖς ὁ Κλέων ἐγράψατο ἀντὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου ταῦτα πεποιχότα etc. atque alio loco: διὰ τὸ ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις πολλῶν παρόντων ξένων εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν Ἀριστοφάνην διὸ καὶ κατηγορήθη ὑπὸ Κλέωνος. Docent igitur omnes hi loci, id quod jam supra leviter attigimus, magnis Dyonisiis Babyloniorum drama actum esse: tum docent, ea in fabula in Cleonem, qui illa aetate post Periclis mortem rei publicae gubernaculum tenebat, aliosque in homines potentes populique rectores quomodo nescimus illuisse poëtam, eaque de causa a Cleone ad iudices delatum sed quum ipse se defendisset absolutum esse. Jam qui fuerint iudices, ad quos poëtae nomen delatum esse putandum, ipse Aristophanes, tradit illis, quae modo attuli verbis „εἰσελκύνσας γὰρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον.“ Senatus enim arbitrio subjecti erant poëtae scenici. A Senatu compositis vel potius commissis fabulis mercedem certam accipiebant (cf. Schol. ad Ekkles. 102) quam iis invidisse dicuntur alii inprimisque oratores. Qui si cui poëtae succensebant rogasse atque saepius etiam pertulisse narrantur, ut illud praemium minueretur cf. Schol. ad Ekkles. 102 Ἀγρόριος τὸν μισθὸν τῶν ποιητῶν συνέτεμε. A senatu electi sunt illi ἐπιμεληταί qui vocantur (cf. Suid. s. h. v.) iidemque jussi sunt chori saltationibus adesse atque videre ne quis choreutarum inter saltandum vel cantandum immodeste se gereret. Senatui prospiciendum erat, ne quid poëtae contra leges scriberent neve in medio proponerent. Senatus igitur erat officium, si quid dictum vel actum in comoediis poena visum esset dignum, poëtam evocare ad causam dicendam et criminis convicto poenam constituere. Quodsi in curiam protractum videmus a Cleone poëtam vel — ut iterum dicam — eum, qui tunc fabulam nostram composuisse existimabatur, atque accusatum apud quingentorum senatum, quod coram sociis civibus atque magistratibus Atheniensium maledixisset, facere non possumus ut non iudicemus legem aliquam neglexisse poëtam, qua violata Cleoni potestas facta erat eum in jus vocandi, praesertim quum quorum variae discrepantesque sunt sententiae iis de quaestionibus quis tulerit legem, quando abrogata sit omnium congruant in unum, ut hoc latum esse iudicandum sit „μὴ κωμωδεῖν ὀνομασί, vel ἐξ ὀνόματος“ i. e. ne quem poëtae nominatim laederent, cf. Cicero de rep. IV, 10, cf. Schol. ad Acharn. 1115. ad Av. 1297. cf. vita Arist. ap. Meinek XI. ψηφίσματος γὰρ γενομένου κωμωδικοῦ, ὥστε μὴ ὀνομασί κωμωδεῖν τινα etc. Tum veri est simillimum, quod Bergkiius disserit de reliquis comoed. att. ant. p. 142. sqq. illa lege nihil aliud fuisse interdictum nisi viros potentes et rei publicae gubernatores in scena repraesentiri et nominatim integra comoedia famam eorum laedi, quum illis quoque temporibus, quibus valuisse legem putandum est, multas doctas atque actas esse comoedias constet. cf. Bergk. l. sign. At quum hujus loci non possit esse, accuratius de hac re quaerere, alio loco plura de rogatae abrogataeque legis tempore et de nomine legis latoris disputare in animum induximus. Nunc satis est, quod apertum videmus, exercitam esse illam legem actorum Babyloniorum tempore quum Cleonem post actam fabulam de conviciis lege egisse cum poëta nostro ipsius ex comoediis intellexerimus, cf. Ach. v. 377. διὰ τὴν πέρσιν κωμωδίαν. Quis autem existimatus sit Babyloniorum auctor, cui actionem intenderit Cleo, ea de re omnis dubitatio sublata mihi videtur esse. Sed ut accuratius de hac re disputemus, altius est repetendum. Quod supra jam exposui, Aristophanis poëtae laudem tum, quum Acharnenses ederentur, jam omnibus innotuisse, nostra aetate paene

inter omnes Aristophanis interpretes convenit, neque mirum hoc nobis videri potest cogitantibus, qui eventus fuerit illius accusationis. Etsi enim quibusdam placuit, Aristophanem primarum fabularum auctorem non prius cognitum esse, quam ipse in equitibus prodiens*) coram populo se scripsisse eas professus esset; unde sequi debebat etiam illam, de qua modo diximus, molestiam a Cleone non Aristophani sed uni Callistrato Babyloniorum protagonistae exhibitam esse: tamen repugnant, quas explicaturus sum, causae. Primum paene omnium scholiastarum sententiae eo congruant, ut illo Acharnensium loco, quo illatae a Cleone calamitatis (cf. supra) sit mentio, Aristophanem se ipsum designasse putent. Dixerit quispiam, Scholiastas inepte ejusmodi scripsisse, nil eo aperuisse nisi ignorantiam; quum enim Dicaeopolis protagonista de calamitatibus narret, non ad alium hoc referendum esse nisi ad protagonistam (sc. Callistratum) nullum in comoediis locum inveniri posse, quo per primarum actorem poeta de se verba faciat. cf. Th. Kock, p. 24. Sane hoc ita se habeat, ne dixerit poeta de se, immo vero protagonista de suis ipsius calamitatibus nuntiaverit: nihilo minus pro explorato habendum est, omnino illam molestiam etiam atque etiam injectam esse ipsi Aristophani. Aristophanis enim nomen tum, quum Babylonii agerentur, ignotum obscurumque fuisse nemo est qui neget. Unde efficitur, ut is vulgo auctor Babyloniorum putatus sit, cujus nomine inscripta erat fabula, dico Callistratum. Quum igitur Callistratus is esse videretur, qui ausus esset Cleoni aliisque hominibus popularibus conviciari, eundem illum ira incensi reum fecerunt. At magis ira exardescabant, quum non auctorem contumeliarum sed actorem se comprehendisse intellexissent. Ut enim quisque maxime decipitur, ita summo studio summaque ira inflammatur. Furibundi ergo invecti sunt in poetam, quem in summas adduxerunt angustias.

Jam eandem ad sententiam ut accederem me impulit alia nescio quo loco Scholiastae cujusdam annotatio, qua is refert, a Cleone accusatum et in jus vocatum se Homericō illo versu defendisse:

μήτηρ μὲν' ἐμὲ φησι τοῦ ἔμμεναι ἀντὶρ ἔγωγε
 οὐκ ἴδ'· ὅς γάρ πᾶς τις ἔδ' ἄνδρα γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Apparet, Callistratum, cujus nomen delatum erat, quum nullius sibi culpae conscius esset, illos dixisse versus, quibus significare voluit, se matrem quidem esse fabulae, quam in publicum protulerit, non patrem. Patrem vero notatum esse Aristophanem equidem credo, qui quum tantis incommodis affici Callistratum videret, se ipsum auctorem professus est. Quo factum est, ut actorum Acharnensium tempore non solum Acharnenses sed etiam superiore anno editam fabulam scripsisse Aristophanem omnes satis scirent neque mirarentur, quod Callistra-

*) Quod Bergkii et Kockii omnibus Scholiorum locis, in quibus Aristophanes ipse Equitum protagonista fuisse narratur, negat ullam fidem habendam esse, jam quod Bergkii contendit fictum esse illud, quod legimus in Scholiis ad Eq. v. 225: „et personarum operarios et histriones tanto timore Cleonis oppressos fuisse, ut hi prohiberentur, quominus Paphlagonis sive Cleonis personam agerent, illi deterrerentur, ne personam fabricarentur, quae Cleonis similitudinem referret; itaque Aristophanem ipsum coactum fuisse, nulla omnino persona ornatum facere tantum perunctis oribus primas partes suscipere“ mihi quidem fictum id esse non persuasum est; neque adduci possum ut credam Aristophanem modo docuisse, non egisse Equites. Nam ne quid aliud Vesperum parabaseos versu 1021 et Equitum parabaseos versu 512 sqq. confirmetur, nihil est causae, quin finxisse omnes illos grammaticos vel quasi concepta in verba jurantes alium ab aetio relata retulisse putemus. At contra in Vita Aristophanis repperi verbum aliquod, quo lecto permotus sum ut longe aliter de hac re sentiam atque Bergkii. Exhibetur enim ibi p. X. 14 ed. Mein. ὅστερον δὲ καὶ αὐτὸς ἠγωνίστατο (sc. Aristophanes.) Hoc verbum ἀγωνίστατο non idem valet, quod καθιέναι, neque solum committendae fabulae notionem continet sed etiam agendi aliquas partes, pariter atque πρωταγωνιστής is vocatur, qui primarum est actor. Similes etiam alias ad corroborandum id quod proposui causas afferre possum, sed quum vitio mihi dari possit, quod longius ab incepto egrediar, abrumperem quam inchoavi explicationem mihi sit concessum.

us in Acharnensibus de illa molestia tanquam de sua loqueretur. Quamquam quo magis quasi enodatur actio illius fabulae, eo clariore luce ante oculos ponitur, quis sit Cleonis ad versarius, quoad postremo reperte mutatis personis poeta, simulans jam esse exhaustas histrionum vires, versibus, quos composuerat, excitatus ipse in scenam prodiens eorum partes suscipit.

cf. v. 659 sqq. πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω

καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.

τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον

ξύμμαχον ἔσται, καὶ μὴ ποθ' ἄλλω

περὶ τὴν πόλιν ὢν ὡσπερ ἐκεῖνος

δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Eodem dicendi genere in altera fabula, quae Pax inscribitur, poetam usum esse, ubi idem in scenam prodisse mihi videtur, satis compertum est.

629. οὐ πω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον λέξων ὡς δεξιός ἐστιν.] Haec verba Scholiastes bene interpretatur: ἐν τῇ παραβάσει οὐ πω εἶπεν ctt. Quum enim παραβαίνειν jam per se ipsum notionem contineat in scenam prodeundi, λέξων conjungendum est cum „πρὸς τὸ θέατρον“, non cum παρέβη. Quam ob causam etiam Equitt. v. 506 sqq. sic distinguendum est:

εἰ μὲν τις ἀνὴρ τῶν ἀρχαίων κωμφοδοιδάσκαλος ἡμᾶς

ἠνάγκαζεν, λέξοντας ἐπὶ πρὸς τὸ θέατρον, παραβῆναι.

similemque in modum Pacis v. 735 sqq.

εἰ τις κωμφοδοιοτήης

αὐτὸν ἐπήγει πρὸς τὸ θέατρον, παραβάς ἐν τοῖς ἀναπαίστοις.

verba πρὸς τὸ θέατρον vocabulo ἐπήγει adjungenda sunt. —

δεξιός] i. e. idoneus ad id, quod sibi proposuit, sollers, prudens. cf. Plut. 386 sqq.

ὄνκ ὦ κακόδαμον, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς μόνους

ἔγωγε καὶ τοὺς δεξιοὺς καὶ σώφρονας

ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

Ran. 71: δέομαι ποιητοῦ δεξιού. Nub. 521 sqq. ὑμᾶς εἶναι θεατὰς δεξιούς. Con- similiter dicitur de rebus. cf. Equit. 96: καὶ λέγω τι δεξιόν. Eccles. 159: καίτοι τά γ' ἄλλ' ἐποῦσα δεξιώτατα.

ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις.] ταχυβούλους poeta Athenienses hoc loco vocat, quibus facile aliquid persuadeatur, ac paullo inferius μεταβούλους appellat, qui ea, quae modo ceperint, consilia paullo post rejiciant. Sperat enim ipse se eos facile ad mutandas sententias perducturum esse et quam celerrime in eorum gratiam, qua exciderat Cleonis calumniis, defensione sua se receptum iri.

631. κωμοθεῖν τινα] proprie valebat: de aliquo in comoedia dicere; quum vero comoediae esset, illudere in homines et status, transit in significationem: aliquem ludibrio habere. cf. Plat. Resp. 452 D: ἐξῆν τοῖς τότε ἀσειείοις ταῦτα πάντα κωμοθεῖν. ib. 395 E. κατηγοροῦντίας τι καὶ κωμοθεῖντίας ἀλλήλους. Atque absolute κωμοθεῖν pro ludificari dictum invenimus Ar. Plut. 557: σκώπτειν πειροῖ καὶ κωμοθεῖν. Omnem hunc usum, quo verba neutra fiunt transitiva atque objectum sibi adjungunt, optime atque dilucide mihi perspexisse videtur doctissimus illustrissimusque vir, Schoemannus, quum in schola quam habuit de constructione linguae Graecae hanc anomaliam sermonis Graeci sic ortum esse exposuit, ut permu-

tatis duabus inter se similibus notionibus aliter aliquid cogitatum aliter enuntiatum sit. Ita — ut sexcentis ex exemplis unum eligam — *τεθνάναι τῷ φόβῳ*, quod proprie significat „vor Furcht sterben“, ubi objectum sibi adjicit, permutatur cum notione „tödlich fürchten“. cf. Dem. Phil. 1. p. 53 *τεθνᾶσι τῷ δέει τοὺς ἀποστόλους*. Sic etiam nostro loco *κωμῳθεῖν* i. e. comoedias scribere permutatum est cum notione irridendi. Quam ob causam omni huic usui summo jure nomen inditum est permutationi.

τὴν πύλιν ἡμῶν.] Teste Bergkio (in Meinek. fragm. com. Gr. vol. II. part. 2 p. 967) Fritzschi in commentatione, quam composuit de Aristophanis Babylonii (quam ipsam inspicere non potui) scribendum esse statuit: *ἡμῶν*, adductus credo ea re, quod postea (v. 632. 33. 36 38. ctt.) semper chorus Athenienses pronomine alterius personae alloquitur. Atque profecto quidem si h. l. codices exhiberent *ἡμῶν*, reciperemus, invitae autem omnibus libris vix audeam. Ceterum l. l. chorus etiam de se loquitur, quum *ἡ πόλις* sua quoque sit. Sequentibus autem versibus chorus Athenienses vituperat et, quum altera modo persona utatur, se quasi eximit de opprobriis quae ipse non meritis sit. Tantum igitur abest ut *ἡμῶν* recipiamus, ut *ἡμῶν* facete dictum putemus.

τὸν δῆμον καθυβρίζει.] *καθυβρίζειν* et cum accusativo conjungitur et cum genitivo cf. Sophocl. O. C. 1960. Phil. 364. Electr. 522. Plut. Romul. 23. Denique etiam Dativus regitur ab illo verbo, velut Soph. Aj. 152:

καὶ πᾶς ὁ κλύων τοῦ λέξαντος
χαίρει μᾶλλον
τοῖς σοῖς ἄγεσεν καθυβρίζων.

Neque difficile est explicatu has tres constructiones reperiri. Accusativus enim, quum obiecti sit casus, nihil habet offensionis. Accommodatiorem autem ad Graecum sermonem puto genitivum, qui quum sit casus definitivus, illi verbi notioni, quae per se non sit satis clara sed definitione accuratiore egeat, hanc addit. Ut omnia fere verba cum praepositione *κατά* composita genitivum regunt, non quidem quod *κατά* genitivum postulat, sed quod verba hac ipsa compositione notionem accipiunt, quae definitionem accuratiorem postulat. Dativus denique si invenitur, verbum quasi absolute positum est, adjecto dativo causali, quem omnia affectuum verba regunt. Vix igitur dativus personae sic positus legatur. cf. gr. Sprachlehre v. Krüger 946, 7. 947, 24. 948, 18.

633. *ἀποκρίνεσθαι πρὸς Ἀθηναίους*] hic scriptum pro *ἀπολογεῖσθαι*, ut *ὑπεραποκρίνεσθαι* in Vesp. 951. Thesmophor. 186.

δεῖται ἀποκρίνεσθαι.] Verbum *δεῖσθαι* cum infinitivo conjunctum non raro invenitur, explanandus vero hic usus est supplendo articulo *τοῦ*. Quum enim infinitivus natura sit medium inter nomen et verbum (cf. Schoemann. index schol. Gryphiswald. 60 p. 14), alias nominis alias verbi vice fungitur. Nominis loco exstat modo in casibus rectis tanquam grammaticum subjectum vel objectum, modo in casibus obliquis. Sic etiam nostro versu genitivi vicem praestat infinitivus pendens ex verbo *δέομαι*, quod plerumque infinitivum regit, quum conjunctum est cum negatione, ita ut *ὄν δέομαι τοῦτο ποιεῖν* idem significet, quod „nihil mea interest hoc facere.“ cf. Schoemann. ad Plut. Cleom. p. 232.

633. *φησὶν δ' εἶναι*] legitur in optimo codice Ravennate, in aliis *φασὶν*, quod rejiciendum videtur.

πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιός.] Ita libri omnes. Quum autem paullo inferius *ταῦτα*

ποιήσας ὑμῖν γεγένηται αἴτιος ἀγαθῶν legatur, Dawesius etiam nostro loco scripsit αἴτιος, ex qua emendatione Brunckius alii illud ipsum „αἴτιος“ receperunt. Multo jure hoc improbat Porsonus ad Hecubam v. 513, ubi ἄξιος scribit:

ἡμῖν δ' Ἀχιλλεύς ἄξιος τιμῆς γύναί,
θεῶν ὑπὲρ γῆς Ἑλλάδος κάλλιπ' ἀνήρ.

Satis apparet nostris versibus priore loco ἄξιος, posteriore αἴτιος scribendum esse. Nam quod πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος est Aristophanes civitati, ea de causa etiam ἄξιος ἀγαθῶν est vel potius dignum se putat, qui multa bona accipiat. Quas vero ob causas gratia ipsi habenda sit ab Atheniensibus, sequentibus explicat: „παύσας ὑμᾶς εἴ.“

Ποιητής]. Prima syllaba vocabuli ποιητής in hoc versu brevis legenda est, quali saepe utuntur comici. Unde intellegi potest, verbum ποιῶ usitato sermonis genere quasi ποῶ enuntiatum esse, prima syllaba correpta. Atque quum Latini quoque pronuntient vocabulum poëtae correpta syllaba prima, ut notissimo illo Horatii versu, „aut prodesse volunt aut delectare poëtae“ multi etiam graeco in sermone semper ποῶ scribendum esse putaverunt. At quo ex tempore Brunckius, alii ex Aristophanis comoediis ποῶ sustulerunt, rursus omnes scribunt „ποιῶ et ποιητής“.

634. ξενικοῖσι λόγοις] recte explicat Scholiastes: τοῖς ἀπὸ τῶν ξένων προέβειον λεγομένοις. His verbis poëta Athenienses admonet, quantopere ipsorum animos permoverint Leontinorum legati, qui anno 427 auxilium petentes contra Syracusanos Athenas venerunt principe Gorgia sophista, qui novo dicendi genere Atheniensium gratiam sibi collegit. Nam quum ad id tempus omnes sobrio dicendi genere Athenis usi essent, Gorgias quum magnifica sua et splendida oratione tum vero blandiendo et adulando omnium sibi animos conciliavit. Ideirco mihi veri simile videtur, etiam illud verbum ἰστέφανοι (v. 636 προῖτον μὲν ἰστέφανους ἐκάλων), quo Athenienses nominati erant, ab eo adhibitum esse, ut hoc cibo quasi alliceret Athenarum cives. Et ille quidem assecutus est, quod appetebat. Nam Athenienses non tergiversati sunt, sed voraverunt hamum, quem ille portendit. Quamquam enim ipsi gravissimis incommodis afflictī erant, quum et fines ter iteratis Peloponnesiorum incursionibus devastati essent, et pestifero illo morbo permulti cives periissent: tamen Leontinis sub extremam aetatem viginti naves auxilio miserunt. cf. Thucyd. III. 86 sqq. Quid igitur mirum, si Aristophanes, qui, quum multum ipsius interesset pacem fieri, hac quoque fabula id quod voluit se consecuturum esse sperabat, Athenienses, quos ab armis recedere cupierat, vehementissime vituperat, quod denuo hostilia coeptaverint.

παύσας ὑμᾶς ἐξαπατᾶσθαι]. Quid haec verba sibi velint, jam supra exposui. Verbum παύειν plerumque cum participio conjungitur, cum infinitivo tum, quum notio τοῦ ποιεῖν praevalet. cf. Mathiae §. 553, 3 Ann. 2. ubi praeter nostrum locum alius affertur ex Aeschylī Prometheus (v. 248.)

θητούς γε παύσας μὴ προδέξεσθαι μόρον].
635. μη εἶναι χανροπολίτας]. χανροπολίται sunt πολῖται οἱ χείνονσιν, hietantes cives, qui oris rictum diducunt, quod magnifice loquentes alienos admirantur. Alio loco similiter Aristophanes Athenienses vocat κερηναίους cf. Eqq. v. 1263:

καὶ μὲν ἐγὼς ὁ Δῆμα θεραπεύσω καλῶς,
ὥσθ' ὁμολογεῖν σε μηδὲν ἀνθρώπων ἐμοῦ
ἰδεῖν ἀμείνω τῆς Κερηναίων πόλει.

636. *πρότερον ἀπὸ τῶν πόλεων οἱ πρέσβεις ἐξαπατῶντες*]. In codicibus legimus: *ὑμᾶς οἱ πρέσβεις ἀπὸ τῶν πόλεων*, metro turbato, quum poëtae diaeresin post praepositionem non ponant, quia tali mora praepositio a casu se jungitur. cf. Nub. 372. Ran. 1026. qui versus simili de causa a Porsono emendati sunt, quum etiam articulum a nomine poëtae nunquam separaverint.

πρῶτον μὲν] Huic *μὲν* respondet *δέ* v. 639 (*εἰ δέ τις ὑμᾶς ὑποθωπύσας καλέσειεν* etc.) ita tamen, ut anacoluthia levis sit statuenda, quum, si omnino verba verbis respondissent, Aristophani dicendum esset: *εἶτα δὲ ὑμᾶς ὑποθωπύσαντες λιπαρὰς ἐκάλουν Ἀθήνας καὶ εἰ τις τοῦτο εἴποι* etc.

ἰοστέφανους ἐκάλουν] cf. Eqq. v. 1329: *ὃ τὰ λιπαρὰ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωτοι Ἀθήναι*. quo versu poëtam verisimile est imitatum esse Pindarum, qui primus cognomen *ἰοστέφανοι* Athenis dedisse dicitur. cf. Pind. fragm.

ὃ τὰ λιπαρὰ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωτοι
Ἑλλάδος ἔρετρας, κλεινὰ Ἀθήναι.

Ejusmodi epitheta poëtae Atheniensibus tribuere non dubitabant, quum Athenarum cives violarum amantes prope a puteis undique violaria instituerent. Pari modo Athenas, dicit Schoemannus (Antiq. gr. I. p. 313), ab antiquis poëtas saepe nominatas esse violis coronatas, qui sine dubio his verbis lonem gentem significare voluerint; lones enim et *τὸ Ἴον* esse consona nomina.

καπειδῆ τοῦτό τις εἴποι] Codd. A. C. Parisiorum, Ravennas. alii codices exhibent: *καπειδῆ τοῦτό τις εἴπη*, quod Brunckius mutavit ex B. Parisiorum in *καπειδῆν τοῦτό τις εἴπη*. Optativus praefendus videtur. Namque si in hypothesi res quae fieri possit, in apodosi quae facta est continetur: in hypothesi optativus et in apodosi indicativus usurpatur. Accedit, quod Graeci iis in enuntiatis, quae actionem iteratam continent, non nisi optativum ponunt modum cf. Matthiae gr. gr. p. 1207. Krüger §. 54, 11. An. 5. Horum utrumque ad nostrum locum quadrat. Poëta enim dicit: iterum atque iterum vos laudati estis, sive *ἰοστέφανοι* vocabamini, sive alia honorifica nomina vobis tribuebantur. Summis autem laudibus si quis vos efferebat, natium in acumine sedebatis. (haec res vere facta est).

ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων ἐκαθίσθη] summis in natibus sedebatis i. e. laetitia et superbia inflati exsultaturi eratis. Quae translatio assumpta est, ut Scholiasta recte dicit, a proverbio: *ἐπ' ἄκρων τῶν ὀνύχων* i. e. digitis summis. Vaniloqui enim et superbi homines summis digitis incedere solent, cf. Soph. Aj. v. 1229.

ἢ που τραφεὶς ἂν μηρὸς εὐγενοῦς ἀπο,
ὑψηλ' ἐκίμπεις κατ' ἄκρων ὀδοιπέρις.

Jam cf. Joan. Brittan. ad Persium I, 82, ubi simile proverbium significatum est: „Quis populi sermo est? quae enim? nisi carmina molli || nunc demum numero fluere, ut per leve severos || effundat junctura ungues.“ Translatio haec sumpta est a marmorariis, qui juncturam lapidum unguibus pertentant, unde ortum est illud dictum: rem esse factam ad unguem i. e. rem esse perfectam.

ὑποθωπύσας λιπαρὰς καλέσειεν Ἀθήνας], blanditus vobis speciosis verbis ut *λιπαρὰς Ἀθήνας*, *λιπαρὰς ἄφνας*. Jam Pindarus Athenas nominat *λιπαρὰς*, non quia agrum Atticum pinguem intelligit sed uberem Atticam esse ficis, olivetis, melle, argentariis.

640 *ἤύρετο πᾶν ἄν.*] Vulgo *εὔρε το πᾶν*; quum vero Ravennas optimus codex

ἤροτο πᾶν exhibeat, idem nos scribendum putamus: ἤροτο πᾶν ἂν διὰ τὰς λιπαράς. — Talibus verbis — sic pergit poëta — blandiens quid vellet consequeretur. Quicumque enim ita locutus est, assentionibus vestros animos in suas partes traxit, at vos ludificatus est sardarum honorem vobis tribuens (ἀφύων τιμὴν περιάψας). Participium περιάψας igitur concessive positum est: καίπερ ἀφύων τιμὴν περιάψας.

ἀφύων] legendum est, quod firmatur codice Ravennate, non ἀφυνῶν. Qui ἀφυνῶν scribunt, ut Elmsleius alii, inhabiles vel crassos Athenienses nominatos esse censent, qui tot apuas ederint. Magis autem ironice et belle dictum ἀφύων. Atticae enim aquae sardis erant impletæ. Quae sardae quum oleo imbutæ niteant ac splendeant, splendidas etiam Athenas illi homines blandi vocabant. Sed exiguum eo Atheniensibus honorem istos tribuisse dicit poëta, quod oleum et una oleaginam frontem in memoriam redegerint.

ταῦτα ποιήσας ἀγαθῶν αἰτίαις ὑμῖν γεγένηται, καὶ τοὺς δῆμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται]. Constructio verborum inde a „καὶ τοὺς“ usque ad „δημοκρατοῦνται“ haec est: καὶ δείξας ὡς δημοκρατοῦνται οἱ δῆμοι ἐν ταῖς πόλεσιν. Per antiptosin igitur subjectum alterius vel pendentis enuntiationis in regentem trahitur enuntiationem objecti loco cf. 649. Inepte Scholiasta h. l. explicuit: *τοντέστι διδάξας τοὺς συμμάχους ὡς χορὴ δημοκρατοῦσθαι, εὐνοῦς ὑμῖν ἀντιοὺς ἐποίησεν. ἄλλως. ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι τοὺς ἡμετέρους δείξας δῆμους ὅτι δημοκρατοῦνται, καὶ ἄνευ τροαννίδος ἀλλήλοις πειθόμενοι.* Immo vero sic interpretandum est, ut supra jam exposui: „docuit vos, quomodo socii a Cleone ejusque similibus vexentur et compilentur. Quare occasionem vobis obtulit mala illa, quae vos ipsi ignorastis, tollendi eaque re socios, qui nunc irascuntur, vobis reconciliandi.“

τοιγάτοι νῦν ctt.] Inde fit, poëta inquit, ut undique Athenas venturi sint, magnum illum virum visuri, qui verum vobis dicere ausus sit.

642 ἤξουσιν], aderunt. — φόρον ἀπάγοντες participium est actionis infectæ. Tributa enim a sociis nono mense Elaphebolio solvebantur, Acharnensium autem fabulam jam septimo mense Gamelio actam esse satis constat.

ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια]. Libri perverso numero praeferunt „ὅστις παρεκινδύνευσεν Ἀθηναίοις εἰπεῖν ctt.“, ita ut quae in tetrametro anapaestico inveniri solet diaeresis desit. Qua re Brunckius, ut post quartum pedem diaeresis esset, emendavit:

ὅστις παρεκινδύνευσε λέγειν ἐν Ἀθηναίοις ctt.

Consimiliter Porsonus in praefatione ad Hecub. p. 47 proposuit: ὅστις γ' εἰπεῖν παρεκινδύνευσ' ἐν Ἀθηναίοις. Proinde receperunt emendationem Elmsleius, ceterique omnes. Equidem cum Hermanno (elem. doctrin. metr. p. 400) recepi Brunckii emendationem, mutato λέγειν in εἰπεῖν codicum auctoritatem sequutus.

ὄντω δ' ἀντοῦ] in libris legitur, Elmsleius ὄντως ἀντοῦ, quia saepissime particula δέ inculcata esse dicitur. Sed non est, quod contra codices δέ ejiciamus. Eodem in versu memoratu dignum videtur, quod Elmsleius aliter distinxit, atque libri; nam commatis loco punctum posuit post ἤκει, ut scribat: ὄντως ἀντοῦ περὶ τῆς τόλμης ἤδη πόρρω κλέος ἤκει. ὅτε καὶ Βασιλεὺς Ἀκεδαιμονίων τὴν προεβείαν βεβαιάζων, ἠρώτησεν ctt. Quod equidem non probo. Sed rectius colon ponendum esse puto, quia id quod sequitur omnino ab illis verbis ὄντω δ' ἀντοῦ usque ad ἤκει separari non potest; immo etiam se adjungit per ὅτε καὶ i. e. quandoquidem (fintemal auch). Quae conjunctio quum hic non modo temporis,

sed etiam causae vim efficiat, una hoc loco scribi potest, non *ὅτι* neque *ἴσπερ* καί. cf. Soph. Electr. v. 38: „*ὅτι οὖν τοιόνδε χρησμὸν εἰσηκούσαμεν, σὺ μὲν μολῶν δόμων ἔσω τῶνδ', ἴσθι πᾶν τὸ δρώμενον.*“ et v. 1318 „*ὅτι οὖν τοιαύτην ἡμῖν ἐξήκεισ ὁδόν, ἄρχ' ἀντὸς.*“ Plat. Phaed. 84. E. *ὅτι γε μήδ' ὑμᾶς δύναμαι πείθειν.* Jam sexcenta invenias exempla Homeri in operibus.

βασιλεύς]. Schol. *ὁ μέγας ὁ Περσῶν.* Post bella Persis illata *ὁ βασιλεύς* κατ' ἐξοχὴν Persarum rex nominabatur, quam ob rem posteriores rhetores et scriptores vocabulam *ὁ βασιλεύς* pro nomine proprio habebant atque, articulus quum nominibus propriis modo adiciatur, modo omittatur, etiam voce *βασιλεύς*, si rex Persarum significandus erat, sine articulo utebantur, cf. v. 61: *οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ βασιλέως.*

βασανίζων]. *βασανίζειν* proprie dicitur de quaestione tormentis habita et de metallis lapide inquirendis. Hinc abit in significationem penitus atque accurate aliquem interrogandi. Schol. *ἀκριβῶς ἐξετάζειν.*

Λακεδαιμονίων τὴν πρεσβείαν βασανίζων ἠρώτησεν πρῶτα μὲν αὐτοὺς πότεροι ταῖς ναῦσι κρατοῦσιν εἶτα δὲ τοῦτον τὸν ποιητὴν ποτέρους εἶποι κακὰ πολλά.] Ad regem Persarum missi traduntur (Thucyd. II. 7) sub initium belli peloponnesiaci de ineunda societate adversus Athenienses Lacedaemoniorum legati, quos ab illo primum esse interrogatos poeta affert, utri navi superiores essent, Lacedaemonii an Athenienses. Quod Scholiasta talia reges primum rogare solitos esse dicit, quando legati eos adirent, idcirco risum mihi movit, quod non dubitum est, quin interrogati semper responderint, se ipsos alteram partem superare. Quamquam utrum hoc an aliud rex quaesiverit nihil refert. Illud certe finxisse mihi videtur Aristophanes et belle finxisse, regem de poeta ipso Lacedaemonios rogasse. Jam alia, quae in disceptationem vocari possit res, haec est, num Athenienses ad Persas legatos misisse ex fabulis Aristophanis eluceat. Primum enim in Acharnensibus (v. 61 sqq.) introducuntur, qui ad regem ab Atheniensibus se missos esse profiteantur et, ut mandata se exposuisse confirmant, illum regis oculum secum ducant. Deinde Scholiasta ad v. 60 annotat: *πρέσβεις δὲ οὗτοί εἰσιν οἱ περὶ τὸν Μόρυχον ἐμπλησθέντες τρυφῆς.* Qui Morychus in Vespis v. 506 heluo ac nepos et v. 1143 texta Ecbatanis veste indutus nominatur. Sed inde non apparet re vera Athenis legatos ad regem iisse. Immo vero etiam ficta et facete ficta mihi videtur tota illa expositio de missa legatione et redeunte una cum Persa quodam, cui ironice nomen inditum est Pseudartabas. Tum quod ad Morychum attinet atque ad illam, qua legati *οἱ περὶ τὸν Μόρυχον* vocantur, Scholiastae annotationem, forsitan Aristophanes cum illis nepotibus Morycho ejusque amicis Athenarum cives comparaverit significaturus, Athenienses eodem modo, quo illos suis rebus, rei publicae bonis usos esse. Accedit, quod alio loco scriptum non invenimus, legatos ad regem missos esse ab Atheniensibus ante actos Acharnenses, quamquam jam initio belli in animo habuisse videntur auxilium a rege petere. cf. Thucyd. II. 7: *πρεσβείας τε μέλλοντες πέμπειν παρὰ βασιλέα,**) cf. I. I. Kruegeri annotationem. At aliud quiddam legimus in Scholiis ad Thucydidem (II. 7) quod quum veri simillimum nobis videtur tum aliis argumentis comprobatur. „*οἱ μὲν, Λακεδαιμόνιοι*

*) Quod revera legatos ab Atheniensibus ad Persarum regem missos esse commemorat Thucydides IV, 50, hanc legationem, quam unam Athenienses ad Persas auxilii petendi causa misisse constat, Aristophanes Acharnensibus significare nullo modo potuit. Non enim est dubium, quin Athenienses legatos ad Persas mittere ceperint consilium postquam jam acti sunt Acharnenses. Ceterum ne eos quidem legatos cum rege collocutos esse, sed quum inter viam de morte regis cognovissent, domum rediisse, idem Thucydides affert.

πρὸς τοὺς Πέρσας, οἱ δ' Ἀθηναῖοι πρὸς τοὺς Θραῖκας. Constat enim, initio belli peloponnesiaco Athenienses cum Sitalke, Odrysiorum Thracum rege, quem Aristophanes quoque commemorat nostrae fabulae versu 134, foedus junxisse, atque etiam Sodako, regis filio, civitatem tribuisse. Quum vero rex ab Atheniensium amicitia se removisset, ut ejus amicitiam denuo reconciliarent legatos miserunt eademque de causa Theorum illum ab Aristophane dictum misisse mihi videntur.

649 τοῦτον τὸν ποιητὴν ποτέρουσ εἶποι]. De antiptosi cf. quod explicavi ad v. 642. — Quod tum *κρατοῦσιν*, indicativum modum, tum optativum (*εἶποι*) legis, non miraberis, quoniam oratione obliqua uterque modus invenitur nullo discrimine. cf. Thuc. IV. 65. Xenoph. Cyropaed. IV., 2 §. 3 et 63; aliosque locos.

τούτους γὰρ ἔφη τοὺς ἀνθρώπους πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι κὰν τῷ πολέμῳ νικήσειν τοῦτον ξύμβουλον ἔχοντας]. Definitio illa, quam pronomen *τούτους* demonstrat, non, ut fieri solet, per enuntiatum relativum addita est, sed per participium. Sententia igitur haec est: „Qui illo poeta utuntur consiliario jam multo meliores facti sunt atque etiam bello (*κὰν τῷ πολέμῳ* i. e. *καὶ ἐν* etc.) superiores fient, si in posterum quoque ejus consilia sequentur.“ — *πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι* optimi codd. R. et A. exhibent. B. praebet: *πολὺ βελτίους γινήσθαι*. C. *ποτέ βελτίους γεγενῆσθαι*. Ravennate auctore scripsimus: *πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι*.

διὰ ταῦθ' ὑμᾶς]. Codd. A. B. C., quos Brunckius sequutus est, *διὰ τοῦθ'*, sed R: *διὰ ταῦθ'*, cui ego quoque assentior.

ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι προκαλοῦνται]. Verbum *προκαλεῖσθαι* aut cum accusativo personae et rei conjungitur aut accusativum personae regit addita re per *πρὸς* sive *ἐπί* sive similem praepositionem. Quas inter constructiones hoc interest, quod in altera (*προκαλεῖσθαι τινα ἐς τι*) premitur vis evocandi, provocandi, altera admitti potest ex analogia verborum poscendi. cf. Plat. Euthyphr. p. 5. A.: *ἄρ' οὖν κράτιστόν ἐστι πρὸς τῆς γραφῆς ἢς πρὸς Μέλιτον αὐτὰ ταῦτα προκαλεῖσθαι αὐτόν*. Arist. Eqq. 796 *τὰς προσβέβαις, αἱ τὰς σπονδὰς προκαλοῦνται*. Plat. Charm. p. 169 D. *οὐ ξυγχορήσαι μοι ἤθελεν ἀδύνατος εἶναι διλέσθαι, ἃ προὐκαλοῦμην αὐτόν*. cf. Soph. Trach. 1208: *οἳ μ' ἐγκαλεῖ*. Tum cf. Thucyd. IV, 19: *Λακεδαιμόνιοι δὲ ὑμᾶς προκαλοῦνται ἐς σπονδὰς*. V, 43: *ἐπὶ τὴν ξυμμαχίαν προκαλουμένους*. Plat. Symp. 217 C.: *προκαλοῦμαι δὴ αὐτόν πρὸς τὸ ξυνδειπνεῖν*.

τὴν Αἴγινα ἀπαιτοῦσιν]. Aeginae occupationem inter praecipuas belli causas memorat Thucydides I. 139 atque diligentius de hac re Scholiastae scribunt, qui Athenienses expulsis Aeginetis in eorum insulam colonos misisse agrosque sorte distribuisse narrant. Insulam autem qua re moti poposcerint Lacedaemonii, facete poeta his explanat: *ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀρέλωται*. Unde nonnulli intelligendum esse putant, Aristophanem Aeginae suas comoedias fecisse, quia unus ex colonis ab Atheniensibus missis fuisse traditur; eaque de causa etiam Lacedaemonios credunt insulam in suam ditionem redactam voluisse, quum Aristophanem praedium non omisurum esse sperarent. Aliud de hac re Scholiasta quidam affert, qui non Aristophanem in insula Aegina praedium habuisse, sed Callistratum Acharnensium protagonistam, missum ab Atheniensibus colonum ibi consedissee dicit. Non minus inepte hoc dictum esse apparet, quam id, quod supra ex scholiis protulimus: omnes Acharnensium locos, qui ad injurias Cleoni illatas pertineant, ad Callistratum referendos esse, non ad Aristophanem. Quis

enim scripsisset fabulam nostram, quis esset ὁ ποιητής, eo tempore nemo ignorabat. Ergo dubitare non possumus, quin Aristophanes se ipsum finxerit Aeginae incolam, praesertim quum a Theogene in libro *περὶ Αἰγίνης* cleruchorum Aegineticorum in numero relatus sit. Quapropter nonnulli Aeginetam eum nominarunt et alienigenam non civem genuinum fuisse suspicati sunt, facile adducti ad hanc opinionem, quod compluribus Scholiorum locis allatum est, Cleonem peregrinae originis crimen in Aristophanem conjecisse. cf. Schol. ad Acharn. v. 378: καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἄγωνα ἐνέβαλεν. Omnino haec conveniunt cum iis, quae in Vita Aristophanis exstant (ed. Mein. p. X): ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε (Κλέων), παροῦσον οἱ μὲν αὐτὸν φασὶ Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην εἶναι. κατὰ τινὰς δὲ, ὡς οὐτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης. Atqui haec altera lis non est confundenda prima illa lite, quam Cleon in poëtam intulerat, quod in Babylonii civitati illusisset. Quum enim Aristophanis vicisset, denuo mali aliquantum machinatus Cleo litem ei intendit de peregrina origine. Huc spectant illi versus nostrae parabaseos (659 sqq.):

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαιμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τετραϊνέσθω εἶναι.

Qua causa ne caderet summa contentione agendum erat poëtae, quod peregrinitatis convicto non jam licuit, fabulas docere. Discessit quidem liberatus, sed magis inde ab hoc tempore Cleoni iratus etiam atque etiam labem adspargere studuit, ut post actos Equites tertium, ut videtur, in jus vocatus sit, sive peregrinae originis sive alius rei crimine arcessitus est. cf. Vita Arist. p. X: δεύτερον καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς εἶναι. Ceterum Cleonem quum actione illa altera, quam poëtae intenderat, nihil profecisse constet, veri simillimum, auctore Rankio (de Arist. vita commentatio), est judicandum, Aristophanem ipsum Athenarum civem fuisse genuinum, patrem vero Philippum alio loco natum Athenis sedem ac domicilium constituisse atque ut secum etiam filius civitati adscriberetur effecisse. Praeterea ex illis, quae de colonia Aeginam deducta attuli, testimoniis hoc certo colligere possumus, Aristophanem missorum in Aeginam colonorum in numero fuisse itaque praedium in insula sortitum esse.

ἀλλ' ὑμεῖς τοι μήποτ' ἀφῆσθ'. ὡς ζωμοφθήσει τὰ δίκαια]. Brunckius ex libro suo: μήποτε δεισῆσθ'. ὡς ζωμοφθήσει τὰ δίκαια. Sed mihi id ad hunc locum non quadrare videtur. Hermannus (elem. doctr. metr.) proponit: ἀλλ' ὑμεῖς μήποτ' ἀφῆσθ' ὡς οὐ κ. τ. δ. — Cod. Ravenn.: ἀφῆσεσθ'. — Codd. A. et B. Paris: ἀφῆσησθ'. — Cod. C.: μήποτε φῆσθ' ὡς κ. τ. δ., ut φημί idem valeat, quod ὑπολαμβάνω, at nolite vos existimare eum jus fasque derisurum esse. Quum vero sententia hujus loci longe alia mihi esse videatur, Elmsleium aliosque sequens legere non dubito „μήποτ' ἀφῆσθ'“ facile mutatis illis verbis μήποτε φῆσθ' in μήποτ' ἀφῆσθ'. Ita enim accuratius poëtae cogitationem hanc assequi possumus: „Ne omiseritis poëtam illum, qui quum comoediis aperuerit vestra vitia, tam utilis vobis fuerit; ne eripi eum vobis passi sitis ut etiam in tempus futurum eandem quam antea vobis vestraeque rei publicae utilitatem afferre possit.

τὰ δίκαια ζωμοφθεῖν]. τὰ δίκαια mihi interiorem objectam rem significare videtur, quum ζωμοφθεῖν proprie sit verbum intransitivum. Ea interioris objecti adjunctio fere ita tantum a Graecis adhibetur, ut res definiatur apposito adjectivo: sic μεγάλην μάχην μάχεσθαι, μαζρόν πόλεμον πολεμεῖν. Saepe autem tale objectum non per substantivum cum adjectivo, sed per adjectivum solum vel pronomen verbo adjungitur ita tamen ut adjectivi vel pronominis genus neutrum scribatur, ut ἡδὺ γελάειν, dulce ridere, proprie: dulcem risum ridere,

ἴσα βαίνειν, parem gradum gradi. Nostro igitur loco τὰ δίκαια legitur pro τὰ δίκαια χωμορδήματα, quod vocabulum tanquam interius objectum verbo χωμορδεῖν continetur. Eodem modo dictum est ὠφελεῖν τὰ δίκαια Eur. Herc. fur. v. 584: δίκαια τοὺς τέκοντας ὠφελεῖν, πατέρα προέσβην τὴν δὲ κοιωνὸν etc. cf. Ach. 1 ὅσα δέδηγμαi. v. 677, ἀξίως ἐκείνων, ὧν ἐνανμαχήσαμεν, ubi ὧν per antiptosin pro ἃ legitur, quod pronomen est interius objectum verbi ναυμαχεῖν, ut ἃ ἐνανμαχήσαμεν idem significet, quod ἃς ναυμαχίας ἐνανμαχήσαμεν.

οὐδ' ὑποτείνων μισθοὺς οὐδ' ἐξαπατύλλων] Vett. edd. partim οὔτε partim οὐδέ praebent. Quum vero Suidas s. v. ὑποτείνων et ἐξαπατύλλων οὐδέ scribat atque etiam in codd. C. et R. verbis sequentibus „πανουργῶν et κατάρδων“ οὐδέ adjiciatur, quamvis antea οὔτε exhibitum sit, ego rectius meliusque puto, omnia illa verba ὑποτείνων, πανουργῶν, κατάρδων, quae eandem fere contineant vim, eodem modo conjungi.

ὑποτείνων] recte scripsit Suidas, vtt. edd. ὑποτίνων. — Aristophanes his verbis (μισθοὺς ὑποτείνων) significare voluit, quanta Athenis impensa pecuniae publice fieret. Nam quum Pericles ad rem publicam accessisset civibus stipendium persolvebatur non solum iis, qui militabant sed etiam iis, qui domi rem publicam capessebant. Largitiones enim civibus et ecclesiam et judicia frequentantibus dabantur, μισθὸς ἐκκλησιαστικὸς καὶ δικαστικὸς. Accedit, quod theorica, quae vocantur, accipiebant, ut etiam pauperes spectaculo interesse possent. Quod ad eam mercedem ecclesiasticam et dasticam attinet, demagogi saepissime, ut plebis animos sibi conciliarent, augendi ejus stipendii spem ei ostentabant. Neque enim eos fugerat, quam facile Cleo plebis gratiam sibi collegisset, lege lata, ut unius oboli loco pauperes cives acciperent tres.

658. κατάρδων] recte Scholiasta explicat: καταβρέχων ὑμᾶς τοῖς ἐπαίνοις ὡς φητά.

659. Πνίγος. Exitus Anapaestorum Scholiastis testibus (cf. ad nostr. loc., ad Vesp. 1051, ad Av. 723) πνίγος et τὸ μακρόν nominatum est. Jam Pollux IV, 112 et Hephæstio p. 132 τῷ μακρῷ separatim parabasis in partibus locum assignarunt atque etiam addiderunt ἀπνευστί eam partem alter pronuntiatam alter cantatam esse. Cantari quidem eam non potuisse satis mihi videtur demonstrasse C. Kock. (Progr. Anclam p. 16). Sed reliquum est ut quid sentiamus de origine nominis et de natura pnigi, disseramus atque explicemus utrum separatim parabasis pars numeranda sit necne. Quum autem quomodo ortum sit nomen, Veteres nihil afferant, non de hac re nobis dijudicandum erit, nisi perspecta τοῦ πνίγος, quod vocatur, natura, quid proprium ejus sit, scrutati erimus. Ac primum quidem, ubi reperitur πνίγος, tetrametris anapaestis adjunctum et ipsum dimetros anapaestos continere omnes vident. Quamquam inde non efficitur, ut omnium parabasiū anapaesti tetrametri illis dimetris excipiantur. Quum enim octo Aristophanis in fabulis parabasis inveniatur, sexies tantum legitur πνίγος, in Acharnensibus, Equitibus, Vespis, Pace, Avibus, Themophorazusis, omissum est Nubium Ranarumque in fabulis. Deinde quod attinet ad argumentum pnigi in quattuor illis, quas modo dixi, Acharnensibus, Equitibus, Vespis, Pace unam eandemque servat naturam. Inprimis enim ni fallor poeta ejusmodi versibus id efficere contendit, ut aperte de se ipso, de ratione et causa, quae sibi sit cum civibus, loquatur, ut consilia iis det, quibus et ipsum se et illos commoda nacturos esse sperat. Quoniam vero poetae comicis varia imminebant pericula, quippe qui civium potentissimum quemque perstringere non dubitarent, non mirum erat, quod, si quo loco de iis periculis cogitabant, ingenti quodam animi fervore correpti continuis verbis uno tenore in

adversarios invehebantur, neque prius acquieverunt quam anima in pectore prorsus interclusa vel, si consilia dabant, quae populum sequi multum ipsorum intererat, summo studio et quasi aestu nitebantur, ut proposita ei probarentur. Sed ad ipsissima nostri poëtae verba animum attendamus, ut quod posuimus, exemplis comprobetur. In Acharnensibus enim nostris, quam fabulam primam illarum, quas modo commemoravi, si non scriptam tamen actam esse jam supra explicavimus, Cleonem inimicum ad certamen provocans „πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω“ his verbis objurgat atque increpitat:

κῶν μήποθ' ἄλω
περὶ τὴν πόλιν ὣν ὡσπερ ἐκείνος
δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Ejusmodi convicia summa cum ira summoque studio jactata esse in promptu est, eandemque ob causam ἀπνευστί i. e. suffocata voce esse pronuntiata veri est simillimum. Itaque πνίγῳ i. e. aestui nomen huic parti inditum esse suspicamur. Non minus affectus est poëta, quum in equitibus spectatorem quasi invocat „fac plausum mihi des, ut qui primum in scenam prodiderim, hilarissimo vultu domum ire possim.“ Atque etiam reliquis in parabasis illo loco, quo de se agebat poëta suorumque consiliorum auctor erat civibus, vehementius commotum se praebuisse sive coryphaeum sive alium aliquem, qui pronuntianda haec verba susceperat, jure est judicandum. Itaque πνίγος vel aestus si nominata sit haec particula, non videatur mirum; nisi vero nostro iudicio deijcitur, quod in Avibus et Thesmophoriazasis nullo verbo ardor vel animi motus efficitur, unde elucet, ἀπνευστί in iis pronuntiari nullo modo potuisse. Atqui hoc nihil habet momenti, quoniam multae res, quae specie vel forma antiqua servata re vera omnino aliae factae sunt, cum forma antiqua nomen retinuerunt. Jam qua re τὸ μακρόν nominari potuerit illud πνίγος, quum brevius esse ceteris omnibus parabasis partibus notum sit, haud satis scio ni quis forte suspicatur ita nomen accepisse, ut lucum a non lucendo. Neque consentio cum C. Kockio (p. 16) qui τὸ μακρόν inde tantum hanc parvam particulam appellari potuisse disputat, quod ἀπνευστί pronuntiandi ratione longiuscula esse visa sit. Collatis enim Scholiorum illis locis, in quibus mentio nostrae particulae facta est, noli legere πνίγος ἢ τὸ μακρόν. Immo scriptum invenies Schol. ad Ach. 656 et ad Vesp. 1051 „πνίγος καὶ τὸ μακρόν.“ Porro leges ad Av. 723: ἐκθεις τοῦ μακροῦ i. e. finis longi. Quidni igitur opineris, totam Anapaestorum partem una cum pniго τὸ μακρόν esse vocatum ita, ut πνίγος exitum τοῦ μακροῦ efficiat. Neque dissentiant quae prius commemoravimus, πνίγος etiam τὸ μακρόν (πνίγος καὶ τὸ μακρόν) nominatum esse, quoniam quod in totam partem cadebat, nomen etiam minori ejus particulae dari poterat. Itaque simul de alia, quam proposuimus, quaestione, utrum separatim parabasis pars πνίγος habendum sit, necne, djudicavimus. Nihil enim aliud est, nisi finis Anapaestorum qui quum metro artissime cum iis cohaeret tum argumento omnino iis aptus est atque accommodatus eo, quod poëtae, qui initio quidem Anapaestorum de se locutus est, sed mox ad alias res se convertit, subito occasio data est ad se revertendi atque paucis verbis nervosis iterum sua proponendi. —

659. πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω] est parodia Euripidis loci alicujus, quum Suidas s. v. ἄλωτόν et παλαμάσθαι et Cic. (Epist. ad Att. VI. 1. VIII. 8. fragm. incert. Beck. 96) afferant illius poëtae haec verba:

πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ καὶ παλαμᾶσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοῖ τεχταινέσθω·
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξόμμαχον ἔσται,
κὺν μήποθ' ἄλλω κακὰ πράσσων.

παλαμᾶσθαι] derivatum a *παλάμη* proprie significat: palma aliquid facere, hoc loco autem idem valet, quod *μηχανᾶσθαι*.

οὐ μήποθ' ἄλλω] ea est constructio, quae fere explicatur supplendo verbo timendi, ut *οὐ μήποθ' ἄλλω* dictum sit pro „*οὐ δέδοικα μήποθ' ἄλλω*“. Ceterum particula *οὐ μή* praeter conjunctivum alios quoque modos finitos efficere atque etiam infinitivum sibi adjungere satis constat, neque hujus loci est exponere quid intersit inter ea genera dicendi.

λακαταπύγων] Codices multi exhibent *λακοκαταπύγων* vel *λακκοκαταπύγων*. Brunckius sequutus codd. A, B, C scripsit: *λακαταπύγων*. Elmsleius, Bentleius: *λακκαταπύγων*, quod verbum ducendum est a *λάκκος* vel *λίκος* i. e. fossa et a *καταπύγων*. Optime, ut Brunckius, plurimi recentiores editores, Meinekius, Bergkius alii legunt: *λακαταπύγων*, compositum ex *λα* et *καταπύγων*, quo in verbo longum *λα* epitaticum est, ut in *Λάμαχος*, quod proprie significat fortissimum militem, et in *λακατέραιτοι* i. e. *οἱ ἄγαν κατέραιτοι*, multisque aliis ejusmodi in vocabulis.

Jam transeundum est ad illam, de qua supra dixi, parabaseos partem, cui grammatici veteres nomen imposuerunt *ἐπιρῶματικὴν συζυγίαν*. Verum enimvero, quamvis prompto paratoque animo quidquid de hac parte statuimus aperuissemus, tamen modum facere explicationi cogimur, quum plura edere neque per tempus licitum sit neque per pecunias ad hunc finem decretas. Satis ergo in praesenti hoc sit: quae restant de nostra parabasi dicenda, alio tempore persequemur et absolvemus.

Scrib. Stargardi mense Martio a. MDCCCLXV.

